




ZODIACUS CHRISTIANUS
MEMORARE NOVISSIMA
FALCONIÆ ET ALIORUM CENTONES









5298

(4)



ERYCI PVTEANI BRVMA:

CHIMONOPAEGNION, De Laudibus HIEMIS,

Vt ea potissimum apud Belgas.


Accedunt

ANDR. VALERI BREVES NOTAE,

Imaginibus Raph. Sadeleri *Illustratae.*

MONACI, CIↃ IↃCXIX.





VIRO NOBILI
DAVIDI FLORITIO,
RIQVEBOVRG-TRIGAVLTO,
BARONI DE VIOLES
ERYCIVS PVTEANVS
BRVMAM D. C. Q.


N frigore æſtum eſſe, Vir Nobilis & Clariſſime, ipſi vel Scythæ ſciunt; animo calent, cæſique injuriam agendo vincunt. Atque ego FLORIBVS nuper tuis, illis nquam CASTIS ad carmen incalueram, cùm adulta jam Hiems eſſet; eodemque mox impetu univerſam deſcribere BRVMAM, & CHIMONOPÆGNIO amœnus eſſe conatus ſum. Veris quidem, Æſtatis, Autumníq;

Encomia à viris olim, ac nuper d
ctis adornata: qui ad Gelu Muſ
deduceret, prorſúſque faceret Hi
males, nemo adhuc, quod ſciam
exſtitit. Neglectam igitur partem
& velut repudiatam ſuſcepi, illam
quotidianis mortalium querelis d
riſque obnoxiam. Simplici (& a
frigido) poëmatio, non homini gra
vem eſſe Brumam, ſed hominem
Brumæ, adumbrare aggreſſus ſum
Si tamen frigido, excuſa: ſic indica
ri potuit, quod fortaſſis non ſati
aptè ſcribi. Verumenimverò, ita ſ
res habet. Poſtquam liberalitas Se
reniſſimi Principis mei ALBERTI
Arcem Lovanienſem, meum eſſe
Parnaſſum voluit, è colle tam amœ-
no, & domicilio tam auguſto deſpi-
cere, quicquid cæli rigor peccaret
quivi, ac propemodum ignorare.
Itaque dedi tempori, quod loco de-
bebã, BRVMAMque velut benignam
celebravi

celebravi. Et cur in Poëta reprehendas, quod nemo unquam pictori vitio vertit? Hic annum, anníque partes promiſcuè imitatur, tantúmque coloribus audet, ut in ipſis tabulis anteísque, nunc frigus, nnnc calorem, nunc mixtam ex his temperiem exprimat. Cùm omnia nive candida ſunt. tamen vmbram invenit; cùm vernant omnia, etiam odores pingit; cùm calent omnia, ignem quoque penicillo accendit; plena denique maturitas ſic exhibetur, ut decerpere velis & eſſe, quæ in æmulationem naturæ ingenioſa manus produxit. Inſpice hæc miracula, & negabis quicquam pulchrius Hieme eſſe: nihil ſuavius, quàm in ſterilitate amœnitatem, in ſenio florem, in frigore delicias invenire. Ad hũc fortaſſis modum, cùm aliorum de aliis anni Horis verſus leges, in meis Hiemem amabis. Hiemem, ſed ne-

cessariam, negotiosam, salubrem, utilem, formosam, lætam, atque Genialem. Quod reliquum est, tam hic benignus, Clarissime FLORITI, eris, quàm doctus, ingeniosus, facundus es: & qui optimum scribere soles carmen, malum excusabis: qui universum nobis annum Musarum coloribus potes depingere, aliquid in Hieme non diductum feres. Et quidni dicam? familiarem vel ideo quoque Apollinem habes, quia filium ejus Æsculapium tam feliciter colis. Prorsus, magnum te Hygiæ Mystam esse, etiam liberiùs omnes prædicant; quia egregius esse Poëta potuisti: magnum Themidis; quia litterarum peritiam Suadámque tibi vindicare. Hygiæ (nam suave est repetere,) & sic Magnis Principibus AVRAICO & CONDÆO, quod optimum est in vitâ humanâ, toties reddis: Themidis, & sic consiliis quoque

tuis

uis Magnorum fortunam tempe-
ras; ſed bonis, ſed prudentibus, ſed
virtute & doctrinâ tuâ dignis. Vide
nunc igitur hanc BRVMAM, & qui ni-
hil in pectore habes frigoris, amoris
mei ignem ama. Tanquam non ri-
geat Hiems, mihi deſcripta eſt: cali-
dam eſſe affectus tuus
oſtendet.



A 4 VIRGI-

VIRGILIUS


LIBRO I. GEORGICORUM

Ad Argumentum

CHIMONOPÆGNI

velut præit.

FRigoribus parto agricolæ plerumq; fru-
untur,
Mutuáque inter se læti convivia curant.
Invitat Genialis Hiems, curásq; resolvit:
Ceu pressæ cùm jam portũ tetigêre carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuêre coronas.
Sed tamen & quernas glandes tunc strin-
gere tempus,
Et lauri baccas oleámq;, cruentáq; myrta.
Tũc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritósq; sequi lepores: tum figere damas
Stupea torquentẽ Balearis verbera fũdæ,
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina
trudunt.



Sic ludunt gelidæ lasciua negotia Brumæ;
Nam leui in glacie non decet esse grauem.

CHIMONOPÆGNION.


Languida, FLORITI cælo pugnātibus Austris
Cedit HIEMS, lentásque ciens in prælia vires,
Adverso positas quærit sub cardine gentes,
Et gelidâ regione Lares, à Sole relictos.
Sponte fugit, nostris nimiùm lassata querelis,
Qui tristem molles, pigram, generique sinistram
Dicimus humano; immemores quo munere terras
Exhilaret, niveóque sinu quæ gaudia fundat.
Hæc mihi dicturo, facilem largire favorem,
Si quid Phœbe potes: si duri tela rigoris
Paullisper pateris, blando exardescere versu
Incipiam: magnúsq; tuum FLORITIVS annum
Carmine nobiliore canet. FLORITIVS ille,
Aetas quem loquitur præsens, quem sera loquetur,
Et quotquot venient laudato frigore Brumæ.
Omnis habet, fateor, terras quo torqueat annus,
Humanúmq; genus: nihil omni parte serenum est.
Densis Ver pluviis, sævísque caloribus Aestas,
Autumnus morbis mundum pallentibus urget.
Quicquid Hiems peccat, minus est: incōmoda pensat.
Sed Deus æternus, vasti cùm tempora mundi
Conderet, atque suo vellet res ordine volvi,
Solis iter varium, totúmque æqualibus annum

Exegit spatiis; in se ut Natura rediret
Sæpius, útque suos repararet Phœbus honores,
Deficiens nascénsq; sibi, cælúmq; pererrans,
Nunc puer intonsus, vernæq; simul pater auræ,
Nunc juvenis flammâq; potens, nunc luce virili
Maturus, tandémque senex, lassúsque labore
Concedens Hiemi, gelidâ perstrictus ab aurâ.
Canitiem veneror: niveis formosa capillis
Tollit Bruma caput, rerum grandæva potestas,
Pax anni, unde olim Pacalia festa Quirini,
Temporis auspicium felix, eadémque senectus:
Quâ, velut emenso spatio, natura quiescit,
Frigore tunc volucres, lenti tunc frigore stertunt
Agri, tunc querulæ cessant convitia ranæ;
Desertisque Ceres migravit in horrea glebis.
Picta jacet nivibus terra, & suspendit aratrum
Palo ruricola emeritum; jumenta quiescunt.
Est igitur; dum rura coli concreta recusant,
Et læta & genialis Hiems, Hiemisque voluptas:
Vt totum impendat, totum sibi vindicat annum.
Tunc suave aucupium Faunus, suavésque Diana
Suggerit insidias, & cani prœlia ruris:
Tunc sapit & piscis concretâ captus in unda:
Tunc juvat exstructa dapibus discumbere mensa:
Tunc juvat & gelidi spumantia pocula Bacchi
Circumferre manu, madidáque calescere flammâ.
Nec veteres abeunt, Effuso Agnalia Circo,

turnique dies, & lauta Charistia fastis
Bruma dedit Latiis, fortunatásque Kalendas.
st læta & genialis Hiems, Hiemisque voluptas.
Nec tamen ignava est: urbémque scholámq; fatigat
Frigida sedulitas. Ceu nesciat otia Musa,
Pulchris invigilat rebus: sic numine dextro,
Mens animúsque vigent, curis melioribus apti,
Et studiis; facilésque fluunt Permessidos undæ.
Mercurius Pallásque, meæ tutela PALÆSTRÆ,
Sumunt frigoribus vires, doctique Lycei
Sparsam nobilitant famam. Quid singula narro?
Et quid nota sequor? Requietas colligit artes
Bruma nova, extremū gelido Autumnū pede calcās
Auræ relliquias calidæ. Tunc pulchra juventus
Undique concurrit, doctos haustura liquores
Musarum, & Sophiæ; doctos haustura liquores
Naturæ, Themidisque bonæ. Velut agmine facto,
Sauromatæ veniunt, veniunt Dacique Scythæq;:
MENTIS amore BONÆ succensi frigora quærūt,
Queis caleant: veniunt jam culto ex orbe Britanni,
Hispani, Ausonii, Galli, Germania multa,
Atque mei veniunt gaudentes Marte Gugerni.
Et veniunt, cùm sævit hiems, cùm pulpita fervent;
Frigore quæ fervent medio, frigéntque calore.
Ergo cùm premit alta domos nix, atque pruinis
Horrescunt silvæ, eximiâ pietate Magistri
Grandia præsenti subsellia numine scandunt,
Gymnasiique litant Genio: pia dogmata Patrum

Virtutésq; frequens juvenúmq; virúmq; caterva
Excipit. Ipse Deus loquitur, quid frigora poßint?
Sed clari Themidos Mystæ pro more Latinas
Auribus instillant leges, queis publica constat
Res hominum, queis, lite procul, privata quiescat.
Agmine tum solito Medicorum confluit ordo,
Nec patitur steriles Asclepi arescere laurus.
Quin ubi nunc paßim suspenso membra theatro
Corporis humani enodat, ferróque perito
Persequitur sector venas Chirurgus & exta
Inspicit (ars multùm Grudiis optanda cathedris;)
Sola tibi gelidæ capiuntur tempora Brumæ.
Hos fidus sequitur cæli, terræq;, marisque
Mensor & interpres, qui docta voce Mathesin
Explicat, & facilem radio percurrit arenam.
Ad Sophiæ tandem florentem prælia pubem
Virgo Minerva vocat: pugnant, frontémque pudicā
Ornati lauro, studiorum præmia libant.
Sed cùm ferventi mortales Sirius igne
Conficit, atque Ceres maturis languet aristis,
Labitur in partes varias jam lassa juventus;
Limine Gymnasium clauso silet; omnia fringent.
In mediis etiam nivibus, Brumæq; rigore
Sudorem gnavæ inveniunt operæ, calet omnis
Artificum fervétque domus: quin sanctior implet
Templa Deûm pietas; sunt pulvinaria plura:
Major Relligio, fastis sollennia Festa.

Iurgia

gia sollicitì adde fori: tunc plurimus ardor
idit caussas, tunc & calidam locat iram
icrepus, rabidáque incendit prœlia lite.
lia, sed damnanda tamen, si plena vetusti
jestas juris vigeat, probitásque fidésque;
ere si paucis, quàm disceptare velimus
ibus innumeris, & avaritiæ velut armis.
volumus, veterique novos molimur ab ævo
res, & solâ gelidi virtute calemus.
go Astræa redit; nec jam fastidit inertes
vacuas scelerum in terris Hiemes: riget ipsa,
tis inconcussa suis, & pondere justi.
d quia jam gelidos Musæ calor incutit artus,
n patiar reliquas Hiemis frigescere laudes.
rpore quid melius sano? hoc tibi Bruma serena,
oc boreásque bonum, gelidus largitur & æther.
efœcata nitet tellus, quia frigida: squallet
uvie, & fœdam exhalat calfacta mephitin.
lle gelu, da Austros Hiemi, Boreæq; calorem,
t Iovis Hiberni tepeat violentia; totum
uot morbi crucient annum? quo Parca furore
eviat! heu, densi pereant juvenésque senésque,
Nec spatiosa sinu capiat tot funera tellus.
mnia tabescant, rerúmque elementa recusent
Naturæ imperium, & fatalem sidera legem.
rigore stat magnus, stat parvus frigore mundus:
is viget, & corpus, validæq; in corpore vires.

Quid

Quid? vitã dat Bruma homini, dat Bruma salutem
Inspice naturæ reliquum: tenet omnia Bruma.
Sol radiis parcat: siccatur frigore tellus,
Post imbres pluviásq; putres mundantur, & omn
Exsudant campi vitium, ceu frigore adusti.
Frigore stant fluvii: sed postquam induruit unda,
Pervia fit plaustris, celerem modò passa carinam.
Aeterno densata gelu stant culmina mundi,
Sidereósque gerunt ignes, glaciémq; revolvunt.
Arderet cælum, rutilas nisi frigore flammas,
Ceu freno premeret. Iovis hæc est magna potestas.
Iupiter est gelidus: læsas tamen igne medullas
Extinguit Venere, & mox alget. Frigore numen
Servat, prostituit numen violátque calore.
Sic quoties celeri jaculatur flumina dextra,
Vltrici indulgens iræ, vim frigore sumit.
Sol quoque tunc propior lucet, licet orbe remotus
Obliquo, insinuet lentos radios, face terram
Mansueta feriens. Nil jam vicinia lædit.
Libratur geminus glaciali sidere vertex
Aetherei mundi: fines telluris & undæ
Claudit Hyperboreos concretus frigore Pontus.
Omnibus in rebus Brumam, frigusque geluque,
Naturæ invenies nexum: sine frigore cuncta
Dissiliant, primúmque chaos morientia reddant.
Frigore nos ipsi mortales, frigore vitam
Extrahimus, pressóque foras emittimus ore

Pectoris

...toris impulsum frigus, spirante susurro,
...ëris impulsum frigus, spirante susurro.
...lnerat acre gelu: sed stratæ funera silvæ
...ssolvunt Hiemem; collucent igne Penates.
...l opus est cælo; spirant penetralia Phœbum,
... parvo ferri Vulcanus carcere clausus,
...ntas transfundit vires, & mollia Veris
...mpora constituit. Sic auram industria vincit;
...t tepefacta fovent conclusum hypocausta vaporem
...rato suffitu. membris riguisse suave est,
...t rursum caleas: non est jucundior æstas.
An sterilis Bruma est? sed fœti temporis auram
...ducit. Sterilis? sed gignit. Frigoris arte
Pulchrum prodigium constat: crystalla gelantur,
Succineúsq; liquor: flavam dant frigora gemmam.
Est glacies gemma; è glacie sibi mollis adoptat
Luxuries cyathos, nec terrent frigora Bacchum.
Pulchrior & glacies vitro est; vincitque lapillos
Eoos niveo dependens stiria tecto.
Ipse adamas glacies. omnique potentior igne est,
Aut glacies adamas: melior, quia frigore mollis,
Sexu, non genio: alter enim mas, alter Virgo est.
Damna recensemus Brumæ: quis commoda? nemo.
Pigram dicit iners, tristem querulus; sibi quisque
Quod culpet fingit. Non crescunt vina? bibuntur.
Non matura tibi Pomona sub arbore ludit?
Estur. Non tibi flava Ceres turgescit in arvis?

Horrea condecorat, mundatur, & arte subacta
Fit cibus, & lautæ celebratur gloria mensæ.
Non Zephyrus depingit humũ? tamen aurea Flora
In pictis ludit tabulis, luditque tapetis,
Et superis Natura plagis velut aurea Flora est,
Cum vario hibernum conspergit sidere cælum.
Namque polo lucent cælestes sidera flores,
Et vincunt vernos cælestia sidera flores.
Claudit Hiems pelagũ? sed & improba vota coërcet.
Merx aliena deest? quid tum? lascivia cessat.
Attamen hibernis Pontum violare carinis,
Grande nefas quondam: ferrum nos duximus ævo
Æ nostro duri & chalybem, nullámque timemus
In pelago Brumam, nullos in gurgite fluctus.
Aër quid læsus faciat? superavimus astra:
Tempora quid faciant? totum confudimus annum.
Omne jacet magnis ventosi puppibus æquor
Oceani domitum, & rostrato sternitur ære
Spumea Neptuni rabies; maris otia fœdum
Pellit avaritiæ crimen: mors temnitur ipsa,
Horridus insurgat Nereus cum gente marina,
Cæruleúmque fretum nimbosus turbet Orion;
Ver agimus, fragilémque ratem stridentibus undis
Objicimus, tanto nil moti turbine ponti.
Infracto minus est animo quodcumque timetur.
Vt nostras alienum Hiemes ducamus in orbem,
Iustitium Oceano nullum est; nec Bruma quiescit.

Delicias

elicias dicam? blandum dant frigora luxum.
l dum gramineam ferventibus urget habenis
llurem, in pretio Bruma est, atque ære paratur.
igore tum multo inficimus vinúmque dapésque
querimur nimio languescere corpora Phœbo.
cula nulla placent, duro nisi cincta rigore
ifficilis, nec non alieno tempore Brumæ.
erverso petimus fugitivæ gaudia vitæ
Mortales studio: matris vocésque vicésque
Naturæ violare bonas, sibi ducit honori,
Quisquis deliciis immersus agit, miserósque
Præcipitat sine lege dies, sine mente juventam.
Bacchus amat gelidas concreto frigore Nymphas,
Nec calet absque gelu: madidis defossa hypogæis
Nix glaciésque jacet; moritura, in luminis auram
Promitur hostilem, & stillat: sic rore liquente
Obsessi calices, hilarant convivia: lances
Et patinæ Brumámq; ferunt Hiemémq; ministrant.
In vinum glacie ardescunt animi, nive flammam
Concipiunt roseam: multa glaciéque gelúque
Mensarum ridet Genius: Sic frangitur æstas,
Et dulcis reparatur Hiems, Hiemisque voluptas.
Sed quoties ex Arce mea (atque meam meus esse
Princeps ille bonus voluit) campósque domósque
Vrbis formosæ. & canâ gravidos nive colles
Contemplor, glaciéque pigrum cum fratre minore
Vicinóque Furâ Diliam, qui stagnat in arva;

Hei mihi, quàm recreor! Sic possum Veris amœnè
Spernere delicias: non est formosior annus.
Vna placet facies Hiemis, Hiemisque voluptas.
Quid nive candidius? tam pulchro splendet amictu,
Et lascivit Hiems: acris; sed amoribus apta:
Cana quidem; lepidis tamen exoptata puellis.
Quæ niveum formæ pretium, spumæq; colorem
Quærunt, & Veneris cupiunt albescere vultu.
Nix Venus est, divina Venus, sed frigida cælo;
Quæ casti tutela tori, tutela pudoris,
Candida conjungit genialis fœdera lecti.
E spumâ Venus est, Aphrodite, mater amorum.
Aëris & cæli nix spuma est: frigidus alto
Cùm ningit, madidam despumat Iupiter iram.
Despumat, glaciémque poli demittit in almum
Telluris gremium, dulcique in sede quiescit.
An nive quid levius? sparsi sunt æthere flocci,
Plumeus éstq; vapor; sed plumbum pondere vincit:
Incubat hæc quoties domibus vis, tecta fatiscunt.
Mollius an quicquam? sed duri marmoris omne
Ludunt ingenium facili formata labore
E nive signa, hominum, Heroúmq; deúmq; colossi.
Et ceræ ingenium ludunt: nam Sole liquescunt.
Omnia frigus habet: calidos sic ludit amores
Frigore septa Venus, Brumámque incendit amore.
Ad dominæ limen risus lenésque susurri
Horâ compositâ repetuntur; gaudia gliscunt.

Quos

Quos glacies lusus, & quæ spectacula donat!
Hos juvat Oebalij jaculari pondera disci,
E glacie moles: illos propellere Græcum
Orbe trochum. Exercent alios ferulæq; pilæq;
Malleus & teretis plumboso robore clavæ.
Hi cursu insolito faciles, soleásque secante
Suppacti ferro, per marmoreos pede campos
Pegaseo volitant: istas, jam non celer, alas,
Talia Atlantiades cupiat talaria, Belgæ,
Ingenio cedens, ferrato munera divûm
Aurea concedens ligno. Namque ulmea rostro
Baxea procurvo erigitur, geminúmque carinâ
Conjungit mediâ latus, & compagine fixi
Libratur ferri. Concretum acies arat æquor
Obliqua; ut vomis glebam, grave robur aratri.
Sed digitos, mediúmque pedem, calcémq; recurrens
Constringit lorum, plantisque immobile lignum
Affigit. Pueri paßim pueræq; gelatos
His fluvios carpunt soleis, ferróque vehuntur:
Et rectos cùm posse neges consistere membris,
Aut proferre pedem, currunt, glaciémq; patentem
Remigio alterno superant, neq; crure fatiscunt.
Non sic effusis sonipes festinat habenis,
Atq; gradū præceps glomerat, cùm pulvere certat:
Non rapidi citiùs venti, celerésve sagittæ,
Aut liquidum volucres diffindunt aëra pennis.
Quid magis oblectet? Curvis pars magna feruntur

Lintribus & geminâ nitentes cuspide gressum
Accelerant. Stimulata suo sic machina ferro
Dirigitur, finditque viam, & vestigia linquit.
Mirantur Superi, veniunt è rupibus udæ
Visum Nereides tanta hæc miracula rerum.
Et timet Oceano (longæ sufrigora Brumæ
Hunc quoq; conglacient) salsis Neptunus ab undis.
Sed quia lintre scapham pueri juvenésq; biremem
Fingunt, & teneros nimium labor occupat artus;
Vota alij remis sociant, cælúmque lacessunt.
Vt ventis animent cursum, vaga carbasa tendunt:
Et plaustro dubites volitent, celerine carinâ;
Terrâ, an aquâ; an suspensa feratur in aëre pennis
Machina. Quid reliquũ est? homini mox arte nega-
Aethereum carpemus iter, cælúmq; petemus. (tu
Ludicra sic Belgæ diviso prœlia cætu
Instituunt, regésque creant, pugnántq; sedentes,
Productis pedibus: furor & violentia in istis.
Victor agit, validum curru qui depulit hostem.
Victor agit; sed quâ pugnavit lintre, triumphat.
Hi glaciem oppugnant, & duræ vulnera crustæ
Infligunt, manátque liquor; gelidi unda cruoris
Effluit, & stagnat. Laticem sic viscera clausi
Gurgitis ejiciunt: ut quondam læsus equino
Mons pede fudit aquas, Musis & Apolline clarus.
Exsiliunt glacie fontes, fontésque bibuntur:
Nam sitis in glacie est, calidúsque in frigore sudor.

In glacie est Phœbus; nascuntur frigore versus:
Inq; meo Phœbo fortaßis frigida vena est.
Frigida, sed laudanda tamen, si Bruma placebit.
Altis è nivibus nonnulli mœnia condunt:
Pro quibus & pugnant: dicas sine frigore frigus.
Castrorum speciem pelles fixæq; tabernæ,
Et structi faciunt ignes. Miracula rursum:
Ignes in glacie? & lucent. Si dicere fas est,
In lusum veniunt veteris tentoria belli,
Et Mars ipse venit; non Mars tamen ille cruentus,
In nostras Hiemes qui longo sæviit igne;
Sed lenis, glaciéque rigens, canáque pruina
Hispidus, & quē nemo timet; quē schemate pugnæ
Vrbibus in totis pueri, mistæq; puellæ
Ludentes referunt. Iocus est & frigore fervet.
In globulos cogúntque nivem, jactúque minantur
Vulnera, non faciunt; feriunt, feriuntur, & omnes
Illæsi tandem sua risu prælia solvunt.
Illæsi, & madidi; non sanguine, sed nive multa.
Omnia quid refero? quid læta munera pompæ,
Prisci delicias Circi, distincta colore
Agmina? sunt Albi, Prasini, Rubei, Venetique.
Sic anni partes, sic ipsa exordia mundi
Quatuor, una tenet variatis Bruma figuris:
Luditur & totus tibi mundus, luditur annus,
Attamen hic quoq; pompa viget, pretiosa voluptas.
Fictus mentitur trabea Lyciámque Chimæram

Bellerophon, Sphingémq; novam, formosa ferarum
Monstra: ferit glaciem niveis hîc Pegasus alis.
Desino jam nimia est, nec duratura voluptas.
Desino, Bruma fugit: tepidis nix solvitur Austri
Solvitur omne gelu. Quis cælo pugnet iniquo?
Vim parat infestis vector Nepheleïdos Helles
Cornibus: & Taurus, valida qui fronte minatur.
Vim parat & Zephyrus, Boreæ mollissimus hostis;
Agmina sed numerosa trahens, densásq; phalanges
Vesparum & culicum, Leviore proboscide Muscæ
Auspicium belli faciunt, gens sanguine cassa;
Sanguinis at sitiens, nullis arcenda flagellis.
Bruma fuge; ast ubi languidior converterit annum
Hora novum, tum Bruma redi, tua sceptra capesse
Nostra tibi regio, noster tibi serviet axis.

ANDREÆ

ANDREÆ VALERI IN ERYCI PUTEANI CHIMONOPÆGNION BREVES NOTÆ.

Poëmatii hujus ἐπιγραφὴ CHIMONOPÆGNION.



Ludum Hiemis] dixeris: quam medus frigoribus Auctor scripsit. Poëtarum autem labor velut lusus quidam, præsertim in re non seria, sæpè etiam in seria. Hinc *Ludere & Canere* familiare Poëtis. Ovid. IV. de Ponto Eleg. VIII.

Nam modò bella geris, numeris quoq; bella coërces,
Quódque aliis opus est, hoc tibi lusus erat.

Propertius libro II.

Par Aganippéæ ludere docta lyræ.

Martial. lib. X. Epigr. LXIV.

Pieriâ caneret cùm fera bella tubâ.

Languida] Languidam longámque n Belgæ Hiemem illam experti: nam & M jo menſe ferè toto glaciem, grandinem, vem videre frequentem licuit. Talem f anno CIↃ.CCCCXLIII. memorat in Chr nico Maſſæus.

Qui triſtem molles] *Triſtem* Maro, *Pigr* Naſo vocat, alii *duram*, alii *inertem*.

Denſis Ver pluviis] Virg. I. Georg.

------- *cùm ruit imbriferum Ver.*

Et II. Georg.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit.

Alibi *Vdum Ver* nominat.

Autumnus morbis] Autumnus morbis i famis. Cauſſa apud Hippocratem in Apho riſmis lib. III. Aphor. IX. & XXII. duple quia inæquales tum dies, calidi, frigidi; qu inæqualitas maximè nociva, ut tradit Ce ſus lib. I. c. III. Ovid.

Cùm modò frigoribus premimur, modò ſolvimur
Aëre non certo tempore languor habet. (æſt

Alibi *inæquales Autumnos* idem vocat. Al cauſa, quia tunc corpora κακοχυμίᾳ & ma lis humoribus obnoxia. Iuvenalis Sat. I

------- *jam lætifero cedente pruinis*
Autumno. Hora

Horat. lib. II. Ode XIV.

ustrà per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.


Idem lib. II. Sat. VI.

utumnúsque gravis, libitinæ quæstus acerbæ.

uò spectat elegans Suetonii locus, Nero-e cap. XXXIX. ait enim, unius autumni estilentiâ triginta funera millia in rationē bitinæ venisse.

Solis iter varium] Faciunt loco huic illu-trando Claudiani illa:

ol qui flammiferis mundum complexus habenis
oluis inexhausto redeuntia sæcula motu.



HIEMANTE CÆLO.

Et

Et Senecæ in Oedipo:

Túque ô ſereni maximum mundi decus,
Bis ſena curſu ſigna qui vario regis,
Qui tarda celeri ſæcula evolvis rotâ.

Ejuſmodi apud Poëtas paſſim obvia.

Nunc puer intonſus] Eleganter anni tem-pora partitur, & ætatum diſcrimina not[...] Quod enim in ætatibus obſervatum, ide[...] ad anni etiam partes aptâ tralatione trad[...]ctum. Ovid. XV. Metamor.

Nam tener & lactens, puerique ſimillimus æv[...]
Vere novo, tunc herba recens, &c.

Sed & in quaque anni parte ætatis quo[...]que diſcrimen notes. Sic *primo vere* di[...] Maro, id quod Græci πρώτε καὶ νέε ἔαρος. Item πρώτε καὶ νέε ἀκμάζοντος ἔτες, ap[...] Pollucem: *adulto vere* Marcellinus. *ſeneſcen[...] autumno*, idem lib. XXI. Similes locution[...] bonæ, ac bonæ notæ ſcriptoribus uſitat[...] Apud Horatium

------ *Ver proterit Aeſtas*
interitura, ſimul
Pomifer Autumnus fruges effuderit; & mox
Bruma recurrit iners.

Canitiem veneror] *Cana Hiems*, aptũ & fa-miliare Hiemi epitheton. Virg. III. Geo[...]

------- *Horrida cano*
Bruma gelu.

Si



Tantùm frugiferæ tres sunt è partibus anni,
Quarta nihil potuit gignere præ senio.

Sic *senescere Hiemem* dixit in Catalectis Vi-
gilianis Vitalis. Pulcrè Naso:
Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos,
Sed & ætati hiemem suam Latini trib-
unt. Plautus Trinummo Actu II. Sc. II
Suæ senectuti is acriorem hiemem parat. Exempl
Eratosthenis, qui senectutem *vitæ hieme*
dicere solebat.

Pax anni, unde olim Pacalia] Ovidius:
Tura sacerdotes Pacalibus addite flammis,
Almaq; perfusâ victima fronte cadat.
Pacalia verò in honorem Pacis, cujus aram
& statuam Augustus dedicavit, Agripp
perfecit. Dio lib. LIV. Celebrata fuere pro
pridie Kal. Febr. quemadmodum indican
Fasti Kalendares. Hinc Ovidius:
Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram.
Hæc erit à mensis fine secunda dies.

Temporis auspicium] Ianus apud Ovidium
I. Fast. v. 163.
Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Et suspendit aratrum] Ovid. I. Fast. v. 665
Rusticus emeritum palo suspendit aratrum,
Omne reformidat frigore vulnus humus.
Villice da requiem terræ, semente peractâ,

D.

Da requiem, terram qui coluere viris.
...us agat festum.
... Est læta & genialis Hiems] Virg. 1. Geor.
...itas genialis Hiems, curásque resolvit.
...nc Liberæ antiquitus asscripta erat Hi-
...s. Liberam autem Deam Romani cum
...rere & Libero consecrarunt. Ex Cerere
...cos Liberum & Liberam Cicero affirmat.
...dendus Pighius in explicatione Toreu-
...tis argentei, De quatuor anni partibus.



BRVMÆ TYPVS.

Tunc

Tunc suave aucupium Faunus] *Faunus* e agrestium Deorum (quales Panes, Silvan Satyri, Sileni) genere, de quo Horat. II Od. XVIII.

Suauésque Diana suggerit insidias] Optim in Hieme & per nives venatio. Virg. I. Ge orgicorum:

Tunc gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritósque sequi lepores: tum figere damas
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina trudun

Horat. lib. I. Serm. II.

-------- leporem venator ut altâ
in nive sectatur.

Et lib. I. Od. XXXVII.

--------- accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Aemonie.

Diana verò venatrix credita, ac venationi dea. Ovid. Epist. IV.

Quid juvat incinctæ studia exercere Dianæ?

Et Metamorph. IV.

Per juga, per silvas, dumósaque saxa vagatur
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ,
Hortatúrque canes.

Hinc & spicula eidem tribuit Flaccu lib. III

[L]ib. III. Od. XXVIII.

------ *celeris spicula Cynthiæ.*

[V] Varia à venationis studio nomina inve[nit]; dicta Græcis κυνηγέτης, θηροκτόνος, ἐλαφηβόλος καὶ ὀρεσίφοιτος, id est, *venatrix, fera[ru]m interfectrix, cervorum jaculatrix & monti[va]ga.* Oppiano in Cynogetico, aliisque, ἰοχέαιρα, id est, τοξοφόρος, ἢ ἰοῖς ἔχουσα, ἢ βέλεσι χαίρουσα. auctor Hesichius. Denique [c]anes ad venandum *Dianæ* sacri. Vnde *tur[b]a Diania* Ovidio. Et Appuleius II. Metam. [D]ianæ simulacro canes jungit: *Lapis Parius in [D]ianam factus, tenet libratam totius loci medieta[t]em, signum perfectè luculentum, veste reflatum, [p]rocursu vegetum, intrò euntibus obvium. Canes [u]trimque secus deæ latera muniunt: qui canes & [i]psi lapis erant.* Vide Gratium de Venatione, [&] Claudianum de Laudibus Stiliconis li[b]ro III. v. 261.

& cani prœlia ruris] *Cani montes*, apud Virg. [I]. Georg. Suprà sic: *Canitiem veneror.* Nemesianus in Cynegetico venationes *securi [p]rælia ruris* nominat.

Tunc sapit & piscis, &c.] Ovid. III. Trist. [E]leg. X.

[V]idimus in glacie pisces hærere ligatos,
Sed pars ex illis tum quoque viva fuit.

Tunc juvat exstructâ] Virg. 1. Georg.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuáque inter se læti convivia curant.
Invitat genialis Hiems.

Effuso Agnalia circo] De his Naso lib. 1 Fast. v. 327. & in nomen inquirit: quod vel ab *agendo*, unde
------- *festum priscis Agnalia dictum,*
Vna sit ut proprio littera dempta loco.
Vel veriùs ἀπὸ τοῦ ἀγῶνος καὶ ἀγωνίας, quod certamen & luctam significat. Ovid.
Fas etiam, fieri solitis ætate priorum
Nomina de Ludis Græca tulisse diem.
Et priùs antiquus dicebat Agonia sermo:
Veráque iudicio est ultima causa meo.
Plura etiam Festus, Celebrata v. Eidus Ianuarias.

Saturnique dies] *Saturnalia*, quibus à Saturno nomen; à Iano origo, ut ex Horo atque Hygino tradit Macrobius, Saturnalium scriptor, lib. I. cap. VII. De die quo celebrare solita, idem suggeret cap. X. *Apud majores nostros*, inquit, *Saturnalia die uno finiebantur, qui erat ad quartum decimum Calendas Ianuarias. Sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies, sexto decimo cœpta celebrari.* Habes diem. An verò unus is tantùm, plurésve

résve

ésve *Saturnalibus* dati? Apud veteres opinio fuit septem diebus peragi *Saturnalia*. Alii per triduum dies hosce festos institutos prodiderunt. Vnum verò diem tantùm iisdem tribuunt alii, ad decimum quartum Calendas Ianuarias. Varietas omnis ex adjectis à Cæsare mensi huic diebus. Quo factum, ut trium dierum ferias *Saturnalibus* edicto suo addixerit Augustus. A decimo sexto igitur cœpta in XIIII. desinunt, quo solo fieri antè consueverant.

Et lauta Charistia] Valerius Maximus lib. II. *Convivium etiam solemne majores instituerũt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur.* Ovid. in Fast.

Proxima cognati dixêre Charistia patres,
Et venit ad socios turba novena deos.

Græci εἰλαπίνην convivium illud vocant. Vnde εἰλαπιναστὴς, id est, συμπότης, συνευωχητὴς, ὁμοτράπεζος, apud Hesychium.

Fortunatásque Calendas] Ianuarias innuit. Ovid. I. Fast. ad Ianum:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimúsque preces?
Tunc Deus incumbẽs baculo, quem dextra gerebat,
Omnia principiis, inquit, inesse solent.

Frigida sedulitas] non quæ algere animos

ac languere faciat, ſed quæ gnavos gnārósque reddat: qui à frigore atque Hieme, ſ temperata, vires capiunt. *Frigida* ergò *ſedulitas*, non quæ talis; ſed quæ in hieme animos occupat atque excitat, & teporem ab æſtu contractum diſcutit.

Permeßidos undæ.] *Permeßis* ſive *Permeſſus*, Bootiæ fluvius, Muſis & Phœbo ſacer, ex Helicone ortum habet.

Gugerni] Geldri. Vulgò *Sugambri* pro iis habiti.

Et ille ſuo Phœbo] *Phœbus*, quaſi φώβιος, *lux vitæ*. Creditur Medicinæ repertor. De Medicinæ ergò Profeſſoribus hic locus eſt, qui apud nos vini.

Hos fidus ſequitur] Matheſéos Doctor. *Radius* hîc Geometrica virga eſt, quâ & terræ & cœli, aërísve ſpatia metiri illi ſolent. Virg. Ecl. III.

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Ad Sophiæ tandem] Philoſophos innuit; qui Magiſterii, ut vocant, titulum ferre ſolent, dum frigus eſt.

Sed cùm ferventi mortales Sirius igne] *Sirius* cùm pro ſtella ipſa, tum pro ſole uſurpatur. Heſych. Σείριος ὁ ἥλιος, καὶ ὁ κυνὸς ἀστήρ. Nomen illi vel ἀπὸ σείρειν, ſive τοῦ σειριᾷν,

quod

quod lucere & ſiccare notat. Vide Hadria. Iunium lib. I. Animad. cap. v.

Sunt pulvinaria plura] *Pulvinaria* lectuli diis ſacri, ſterni ſoliti, quoties ſupplicatio decreta iis eſſet. *Lectiſternium* eadem notione uſurpatum. D. Auguſt. libro III. de Civit. Dei. Livius: *Curatum Lectiſternium, & per triduum habitum Decemviris ſacrorum curantibus, & pulvinaria in conſpectu fuêre Iovi & Iunoni, alterum Neptuno & Minervæ, tertium Marti & Veneri, quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano ac Veſtæ, ſextum Mercurio & Cereri.* Appuleius lib. IV. *Sacra Deæ proferuntur, templa deformantur, pulvinaria proferuntur, cærimoniæ negliguntur.*

Iurgia ſolliciti adde fori] Pulcrè *ſollicitum* vocat *forum*, quia ſollicitos eos habet, qui litibus irretiti in eo verſantur. Pari elegantiâ *inſanum* vocat Maro; *litigioſum & verboſum* Naſo. III. Faſt. Eleg. VII.

Cædunt verboſi garrula verba fori.

In eam rem ſcitè Auctor noſter addit,

------- *rabidáque incendit prœlia lite.*

Et fœdam exhalat calfacta mephitin.] Virgi. VII. Æneid.

----- *ſævámque exhalat opaca mephitim. Mephitis* terræ putor eſt, ex aquis maximè ſul-

phureis proveniens. Alii Deum esse volunt Deam alii. Vide Servium in Virgil.

Frigore stat magnus] *parvus mundus* μικρόκόσμος, id est, homo.

Frigore stant fluvii] Horat. lib. I. Od. IX.

Vide ut altâ stet nive candidum
Soracte. -------- *gelúque*
Flumina constiterint acuto.

Avienus Fab. XXIX.

Horrida congestis cùm staret bruma pruinis.

Sed postquam induxuit unda] Hilasius in Catal. Virgil.

Duruit ut ventis unda, fit apta rotis,

Celerem modò passa carinam] Basilius in catalectis Virgil.

Vnda rotam patitur, celerem modò passa carinam.

In glaciem solidam versus ut amnis abît.

Virg. III. Georg.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ
Vndáque jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

Ovid. III. Trist. Eleg. X.

Quáque rates ierant, pedibus nunc itur, & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes subterlabentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.

Aeterno damnata gelu,] Alpes ac Pyrenæ-

os intelligo mõtes. Illic Italiæ termini, perpetuis ferè albeſcunt nivibus. atque hinc fortè illis nomen. Pyrenæi montes Hiſpaniam dividunt, & ἀπὸ τȣ̃ πυρὸς, nomen habent, quòd crebri in iis fulminum ignes.

Arderet cælum] Paraphraſin locutionis hujus habet Manilius lib. v. in fine:

Ipſe ſuas æther flammas ſufferre nequiret,
Totus & accenſo mundus flaglaret Olympo.

Iupiter eſt gelidus.] *Frigus* Iupiter, ſi pro aëre ſumas. Horat. lib. I.

------- *manet ſub Iove frigido*
Venator.

Aliàs & *calidus*, ſi pro æthere cum Phyſicis accipias.

Sic quoties celeri] Quî *fulmen* & *fulgur* differant, Philoſophi docent. Generationis atque originis eadem ferè in utroque cauſſa, puta exhalatio calida & ſicca, quæ elevata ſurſum ac vapori frigido incluſa conſtrictáque, vi viam quærit, & fragorem excitat.

Sol quoque tunc propior] Adeundi, & audiendi ſunt Aſtronomi.

Sed ſtratæ funera ſilvæ diſſolv. hiemẽ] Elegãs locutio, fortè è Martialis illo lib. I. Epig. I.

Vicina in ipſum ſilva deſcendit focum.

Et parvo ferri Vulcanus] Hypocaustum describitur; cujusmodi juxta Bibliothecam suam Auctor construi curavit, & in quo Brumam hanc scripsit.



Quando suis agros perfundit aquarius urnis
Perfundis dulci, BACCHE, *hypocausta mero.*

Crystalla

Cryſtalla gelantur] Statius Papin. lib. I. Sil. in Epithal. ſtellæ v. 129.

Caráque longævis nivibus cryſtalla gelari.

Cryſtallum enim glaciem eſſe certum eſt. unde & græcum illi nomen, παρὰ τὸ στέλλεσθαι ἀπὸ τοῦ κρύους. Nec alibi reperitur, quàm ubi maximè hibernæ nives rigent. Ita Plin. lib. XXXVII. cap. II. Paria tradit Iſidorus lib. XVI. Orig. c. XIII.

uelut aurea Flora eſt] Florum Dea, à qua *Floralia* feſta, Gr. ἀνθεστήρια. Florere verò de cœlo ac ſtella dicunt Græci ac Latini. Elegãter quoq; *florere lumina* Lucretius lib. IV.

Bina lucernarum florentia lumina flammis.

Virg. propriè *ſtellare* VII. Æneid.

-------- *ſtellantis regia cœli.*

Plin. *ſtellantem bullis frontem* appellavit. Pulcer Lactantii locus eſt. lib. VI. De vero cultu. *Ajunt enim multo eſſe præclarius, & homine dignius, cælum potiùs, quàm cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quàm picta, & ficta, & gemmis diſtincta mirari.* Similis Baſilii locutio: Ἀπέλαβε δὲ οὐρανὸς τῶν ἀστέρων τὰ ἄνθη.

Claudit hiems pelagum] Virg. II. Georg.

Rura gelu jam claudit hiems.

Manilius lib. III.

Tunc riget omnis ager, clausum mare, cōdita castr.

Clauditur vero navigantibus mare, idqu ex die III. Eid. Novemb. usque ad diem VI. Eid. Martii; ut scribit Vegetius lib. IV De re militari. Habet ergò & mare suam brumam. Horat. lib. II. Serm. 2. *Hiemat mare:*

Atrum defendens pisces hiemat mare.

Aperitur mare, solutâ hieme. Horat I Ode IV.

Solvitur acris hiems gratâ vice veris & favoni:
Trahûntque siccas machinæ carinas.

Plinius: *Ver aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii Hibernum molliunt cælum, &c.*

Nullámque timemus in pelago brumam] Audax certè hodie nautarum illud genus, quibus in mari justitium nullum est. Sed nec apud priscos defuêre, qui hieme návem mari crederent. Sophocles Antig. Actu 2.

Τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν
Πόντου χειμερίῳ νότῳ
Χωρεῖ περιβρυχίοισι
Περῶν ὑπ' οἴδμασι.
Ille (homo) *canas æquoris undas*
Obruentibus ratem
Fluctibus, transire aquas, dum

Sævit

Sævit notis hiems protervis.

Nimbosus turbet Orion.] Virg. I. Æneid.

...um subitò insurgens fluctu nimbosus Orion

In vada cæca tulit.

...rion, Catullo *Oarion*, inter tristïa sidera, ad ...ccasum spectat, tempestatémque ciet. ...orat. Epod. XV. *nautis infestus Orion.* Vide ...linium lib. XVIII. c. 28.

Frigore tum multo] Nihil hodie in aulis ...sitatius. Nec priscis id ignotum, nive aut ...lacie temperari ac frangi vini vim. Misce...bant frigidam, interdum calidam, ne vini ...alor frigúsque noceret. Iuvenalis:

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister.

Glaciéque pigrum] Iulianus in Catalectis Virgil.

Pigrior ut cano constitit unda gelu.

Lucanus lib. IV.

Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens.

Idem lib. V.

Tandem bruma nivem refert, pigrúmque rigorem
Reddit Hiems.

Tibullus lib. I.

Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis.

E spuma Venus est.] In fabulis est, Venerem è maris spuma natam. Hinc Græcis ἀφρογένεια, ἀφρογενὴς & ἀφροδίτη, διὰ τὴν

τῶ

τȣ̃ ἀφρȣ̃ γένεσιν. Et *Aphrodisia* festa, apu Plautum in Pœnulo. Ovid. IV. Fastorun

Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum
Auguror, à spumis est dea dicta maris.
Nec tibi sit mirum Græcorum nomine dici:
Itala nam tellus Græcia major erat.

Et IV. Metam.

Si tamen in medio quondam concreta profundo
Spuma fui, gratúmque manet mihi nomen ab illa

Pulcrè Auctor Pervigilii Veneris,

---- *cruore de superno, ac spumeo ponti*
è globo *
* * *

Aëris & cæli nix spuma est.] *Aquæ pulverem* Simphosius vocat Ænigm. XXI.

Pulvis aquæ tenuis modico cum pulvere lapsus.

In almum telluris gremium] Lucret. lib. I.

Postremò pereunt imbres, ubi eos pater æther
In gremium matris terraï præcipitavit.

Auctor Pervigilii Veneris.

----- *totis crearet vernis annum nubibus*
In sinum matris imber fluxit almæ coniugis.

Ludunt ingenium facili form.] Id istâ hieme anni CIƆ IƆ C XV. Bruxellę videre licuit non sine admiratione & stupore multorum, quia pictores sculptorésque etiam colores addiderant.

Hos

Nos juvat Oebalii disci] Ovid. III. Trist. Eleg. 12.

Usus equis nunc est, levibus nunc luditur armis,
Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.

Propert. lib. III.

Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Martialis lib. XIV.

Splendida cùm volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri, sit semel ille nocens.

De Hiacyntho loquitur, qui disci jactu ab Apolline interfectus est, de quo Naso X. Metamorph.

Hi cursu insolito] Pulcrè hîc depingitur calopedium illud ferratum, quo dexteritate & celeritate mira per glaciem feruntur. Belgis nostris frequens huius est vsus, qui *scaetzen* nominant, alii *schaverdynen*, quidam *schrickschoen*, an non à Scriclandia? Latinis certum nomen non est, quo id exprimant, quia Romanis incognitum fuit. forte à septentrione ad nos venit: nam & apud loci illius incolas usum illius esse Olaus Magnus auctor est. Noster *Baxeam* vocat, quæ vox Plauto & Appuleio usurpata. Liceat & *soleam ferratam* nominare. De *soleis* vidẽdus Gellius lib. XIII. Noctium cap. XX. Est verò *Baxea*, calceus ligneus, ex eo-

rum

rum genere, queîs Philoſophi priſci uſi: *Ca-lones* Feſto. Apuleius lib. 11. Metam. *Iuve-nem quempiam amiculis intectum, pedéſque pal-meis baxeis indutum.* Lib. XII. *Nec qui palli-baculóque & baxeis, & hircino barbicio Philoſo-phum fingeret.* In Floridis: *Veſtem de textrin-emere, baxeas iſtas de ſuterna præſtinare.* Plau-tus Menæch. Sc. Sine fores:

---- *Quis is eſt peniculus, qui extergentur baxea*

Cæterum de crepidis illis ſive calopodi-is elegans elegantiſſimi Gratii diſticho-eſt:

Quæ Batavûm miratur hiems ſola ferrea cernis
His per aquas nec aquas ire nec ire licet.

Pulcre verò ad Ioan. Secundum fratrem, in Hiſpania degentem, de iiſdem luſit Hadr. Marius I. C. quem & audire hîc libet:

Nunquid ubi aſpecta eſt dubium te littera fecit
Picta manu trepidante, & curvo limite ſcandens?
An vel ſic quoque nota tui tibi dextera fratris,
Vnanimi fratris; ſine te qui vivere poſſet,
Nî ſemper primis tecum vixiſſet ab annis.
Si qua tamen dubio fallet te littera ductu,
Non ea ſigna puta finiti morte doloris;
Frigoris eſſe puta, curſum hic quoq; flumina ſiſtunt,
Et liquor in calamo, dum ſcribimus iſta, gelatur,
Ne dum perdurent digiti, officiúmque faceſſant.

Nota

Nota tibi refero, nisi nunc præsentia mentem
Abducunt memorē, & patriam de corde revellunt.
Me tamen interea nec acuti spiritus Euri
Includat tecto, aut Boreæ penetrabile frigus
Cogat ad exstructas lentum torpescere flammas.
Non urbs contineat; libet ire, & quærere circum,
Et baculo tentare, aut saxo cominus acto
Frigore concretos amnes, & ponere gressus
Crystallo super instabiles, tum si qua ferendo
Unda homini durata satis, nec grandine scabra,
Nec nivibus corrupta, nitet tranquillus uti fons,
Aut veluti speculum formosæ læve puellæ
Quod pendens aptè ad lucem, thalamiq; fenestram
Arguit incomptos & ponit lege capillos:
Expedio crepidas, ligno ferróque rigentes
Ancipiti ferro, quo durum inscribimus æquor,
Subjicióque pedi, & circum constricta supráque
Vincta ligo, ne planta aliquo laxata vacillet,
Neu quà deflectant crepidæ, talúmque relinquant,
Inde, velut tensum quis inambulat arte rudentem,
Cui premitur pronâ subjecta novacula plantâ;
Sic gressus tenui nixos mucrine movemus,
Diversosq; pedes nunc hunc, nunc tendimus illum,
In latus, & trahimus longi vestigia ductu,
Alternásque notas alterno pingimus ense.
Ast, ubi collectæ vires, innota tenentes
Crura pedésque ambos, per longum labimur æquor,

Quam


Quam non præcipites bijugo certamine currus.
Qualis ab excelsa testudine Chaonis ales
Rura petens, plauditque alis, & verberat auras,
Dein liquidum tacitus perlabitur aëra pennis.
Quin etiam seu stare libet, greßùmve referre
Vnde abitum, talos facili simul arte locamus,
Diversósque pedum digitos, versique repente,
Cum strepitu, latum per marmora ducimus orbem
Immenso velut in pelago deprensa carina
Vertitur ad clavi nixum; tum limite longo
Circulus apparet circum spumantibus undis.
Nec solis ars nota viris; ars nota puellis
Hæc etiam, junctique volant per marmor amantes
Aut si quæ teneros ignorant ducere gressus
Insistunt latis soleis, binósque prementes
Sub pede mucrones, juvenis currentis in ulnis
Immotæ stantes vertuntur, & æquora tranant.
Ipse amor in medio fertur, tædámque coruscat,
Quáq; volat mentésq; hominū colliquat, & æquor
Sæpè aliquis juvenum glacie (quis credat) in ipsa
Inventos, abiens secum tulit inscius ignes,
Quos non bruma rigens nivibus sopire gelúque
Poßit, nec vastis exstinguere Tethys in undis.
Sunt etiam Nymphas qui se vidisse per umbram
Ad Lunæ radios certantes flumine clauso
Sic memorent, cursu placidos imitante natatus,
Hásque olim Batavis artem monstrasse colonis.

Vnde

Unde etiam Crepidis nomen regionis adhæsit,
Raráque jam Batavos ignorat terra cothurnos
Quos plana exercet per aquosas Flandria valles,
Et fœcunda Brabantiacæ per flumina gentes,
Cimbrique, Morinique & gens infrena Sicambri
Et quoscunque premunt glacialis sidera plaustri.
Fortè puer patrio & quondam sic lusit in Hebro,
Cujus suavidico celebravit carmine fatum
Ingenio durisque potens Germanicus armis.
Nam quis tam rapidum credat decurrere flumen
Illapsum, ut tantis impingat viribus ullum
In glaciem, adversam caput ut cervice revellat;
Ipse nisi ingenti impulsus sese objiciat vi.
Illum igitur quoque sic ut nos lusisse putarim,
Et summis rapidè connixum viribus ipse
Prævertentem emissam arcu per inanè sagittam.
Cum subitò glacie ruptâ subsidit, & actus
Impete in oppositam nudato gutture testam
Dividitur; partes fluvius celer abstulit imas,
Prolapsúmque caput glabro super æquore longè
Purpureum calido duxit de sanguine sulcum.
Infelix puer, & nimium temerarie, quænam
Te festinantem tenuit tam dira cupido,
Ut fluvio non sat durato insistere velles,
Neu potius malles non altâ ludere fossâ,
Aut prato, exiguâ flumen quod texerat undâ
Exundans, facilique gelu duraverat aurâ?

Tu dabis exemplum nobis, audacia quanti
Constet, & ut maneat timidos longæva senectus.
Sed quò diversum pueri miserabile fatum
Me rapuit, Germane, diémque educere fecit?
Ergò ubi nox grato jußit desistere ludo,
Sole cadente domum calidi, brumæq; malignæ
Ignari petimus; tum verò tendere gressus
Nequicquam lentos, & proreptare videmur,
Qualiter in somnis vani molimine cursus
Nitentem frustrà exercent, genibúsque labantem,
Quærentémque suo notas in corpore vires.
Hos ego te lusus patrios, germane, videre
Paullisper volui, & patriæ meminisse per illos
Ignotos istic lusus, ubi frigida nunquam
Stringit hiems undas, ubi semper Citrius auro
Stat gravis, Herculeâ quondam sata semina dextrâ
Hesperidum è silvis occiso rapta dracone.

Baxeæ Batavicæ formam ne quis desideraret, hîc expressimus; ut magis instrumenti hujus usum Lector miraretur.



HIS FLVMINA CALCANTVR.

Per marmoreos pede campos] Ovidius III. Trist. Eleg. x.

Terráque marmoreo est candida facta gelu.

Iterum :

Inclusæq; gelu stabunt ut marmore puppes.

Talia Atlantiades] Mercurius Atlantis nepos, Deorum præco atque interpres. Horat. I. Od. x.

Te canam magni Iovis & deorum

Nuncium.

Hinc *celer* Horatio; *velox, agilis, Deus ales,*

Ovidio

----- *concretum acies arat æquor.*


Ovid. 1. Trist. Eleg. 11.

Latum, mutandis mercibus, æquor aro.

Curvis pars magna feruntur lintribus] *Linter* inter fluviatiles naves est, à qua *Lintrarii* Vlpiano l. 1. D. Nautæ, cauponarii, &c. Fit solâ excavatione arborum. Virg. 11. Geor.

---------- *cavat arbore lintres.*

Atque hinc Plinio lib. VI. *monoxile lintres.* Auctor lintrem pro parva & puerili accipit traha, ferro suppacta, cujus in glacie usus est. Forma talis esse solet.



SIC HIEME NAVIGATVR.

Sunt Albi, Prasini] In Circo factiones erant agitatorum bigariorum, ac quadrigariorum (ita appellati, qui bigas ac quadrigas circum Circi metas agitabant) quibus à vestium coloribus nomen. Erant eæ initio *Albæ*, Hiemi ob nives candidas; *Rubeæ*, Æstati, ob solis ruborem, sacræ. Accessere dein *Prasinæ*, terræ matri vel Veri; *Venetæ*, cœlo & mari vel auctumno, devotæ. Ex Tertull. lib. de spectac. c. IX. *Prasinus*, color viridis, unde *Prasina factio*, de qua Iuvenalis Sat. XI.

Tutam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventus viridis quo colligo panni.

Vide Sueton. Caio, c. LV. Nerone c. 28. Dionem in Commodo, Caracalla & Elagabalo: hi enim factione illa mirè delectati. *Venetus* color cæruleus. hinc *vestis veneta* Vegetio lib. IV. de re militari, Deditus factioni huic Vitellius, Sueton. ejus vita, c. XIV. Mirum, quanta contentione & insania factiones illæ agitarentur: atque ex iis frequentes rixæ, sæpè etiam cædes ortæ. Refert Zonaras regnante Constantinopoli Iustiniano Imp. tantam ibi ex factionibus Prasina ac Veneta ortam seditionem, ut quadringenta ferè hominum millia cecide-

rint. Vide Plinium lib. VII. cap. LIII. Ausonium Edil. XIII. & Suidam in ἱππομανῆ.

Vector Nepheleidos Helles] Helle Athamantis & Nepheles filia. Nomen dedit Hellesponto, quod fretum Europam ab Asia discriminat. Vide Ovid.

------ *malè vectæ virginis undæ.*

Propiùs facit ejusdem III. Trist. El. XII.

Impositámque sibi qui non bene pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

FINIS.

MONACHII,

Ex formis Annæ Bergiæ viduæ,



Apud Raphaëlem Sadelerum Iconographum Ducalem venalis.

ANNO MDCXIX.

